

n. 2., *Rosella, Sylv.* et alii contra *Sotum, D. Antonin.* 2. parte Summae tit. 9. c. 18. §. 2., *Ostiensem*, et alios, qui docuerunt, quod pueri ante 12. vel 14. annum non obligentur hoc praecepto, licet post septennium discernere inter bonum et malum, ac consequenter peccare possint. *Neque refert*, quod plus aetatis requiratur ad hoc, ut obligentur praecepto Eucharistiae percipiendae: tum quia hoc Sacramentum non est tantae necessitatis, sicut Sacramentum poenitentiae, tum quia ad intelligendum Ss. Eucharistiae mysterium, et ad eam debita reverentia suscipiendam plus requiritur, quam ad cognitionem peccati, et ad dolendum de eo.

ARTICULUS II. De Satisfactione Sacramentali.

§. I. Praenotanda.

608. I. Per Sacramentum poenitentiae remittitur quidem non tantum culpa, sed etiam poena aeterna; non tamen expungitur semper omne debitum poenae temporalis, ut docet *Trid.* sess. 14. C. 8. *de satisfactionis necessitate et fructu* ex sacris litteris et divina traditione: ideoque *ibid.* can. 12. ita definit: *Si quis dixerit, totam poenam simul cum culpa remitti semper a Deo, satisfactionemque poenitentium non esse aliam quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse, anathema sit.* Et sequenti can. 13. *Si quis dixerit, pro peccatis, quoad poenam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri poenis a Deo inflictis et patienter toleratis, vel a Sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, elemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam poenitentiam esse tantum novam vitam, anathema sit.* Unde satisfactio alia est sacramentalis, alia extra-sacramentalis.

609. II. Satisfactio *Sacramentalis* est bonum aliquod opus unum aut multiplex, virtute clavium injunctum poenitenti, partim ad persolvendam poenam temporalem pro remissis peccatis debitam et in hac vel altera vita adhuc luendam, partim ad praecavendum peccatum. Unde alia dicitur satisfactio *vindicativa*, quae ordinatur ad punitionem peccati commissi, et satisfaciendum Deo pro illata per illud injuria; alia *medicinalis*, quae praecipue ordinatur ad praecavenda peccata in posterum. Satisfactio *Extra-sacramentalis* fit non solum per pia opera sponte suscepta, sed etiam per aerumnas a Deo inflictas, et patienter toleratas, ut constat ex *Trid. cit.* In seq. §. de priore hic agemus.

§. II. Principia de Satisfactione Sacramentali.

610. *Principium I.* Confessarius, per se loquendo, tenetur sub gravi obligatione confitenti injungere poenitentiam, et quidem regulariter ante absolutionem. Patet ex *Trid.* sess. 14. c. 8. ubi ita docet: *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum Spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et poenitentium facultate, salutare et convenientes satisfactiones injungere, ne si forte peccatis conniveant et indulgentius cum poenitentibus agant, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem prae oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novae vitae custodiam, et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam et castigationem.* *Confirm.* ex triplici officio Confessarii, nam ut Judex tenetur debitam pro delictis poenam exigere; ut Doctor, et Minister Sacramenti debet curare, ne Sacramento desit sua pars integralis, cujusmodi est satisfactio, quae a *Trid.* sess. cit. 8. ex omnibus partibus poenitentiae dicitur a Patribus perpetuo tempore fuisse commendata Chri-

stiano populo: denique ut Medicus tenetur poenitentem a relapsu praeservare, id quod abunde praestat injungendo satisfactionem medicinalem: ergo.

611. Dixi *primo: per se loquendo*: per accidens enim Confessarius excusatur ab impositione poenitentiae, si poenitens sit incapax illius persolvendae, sicut contingit in absolutione moribundorum, qui jam sensibus et viribus sunt destituti; si vero moribundus non penitus sit destitutus usu sensuum, injungendum est aliquod saltem leve opus, v. g. percussio pectoris, invocatio sanctissimorum nominum Jesu et Mariae, osculum Crucifixi, aut quinque Ss. Vulnerum: poterit etiam Confessarius elicere actus fidei, spei, et charitatis, quos poenitens saltem mente simul eliciat. *Palao* Tit. 23. D. unica pun. 21. §. 2. n. 7. Juxta alios, si non possit poenitens per se implere opus injunctum, imponi potest elemosyna, quam potest elargiri per alium.

Dixi *secundo: sub gravi obligatione*, praesertim si poenitens peccata gravia nunquam ante confessa exposuerit: cum enim haec obligatio sit in materia gravi, procul dubio et ipsa erit gravis. *Babenst.* T. 5. P. 6. D. 5. a. 3. n. 5. *Ib.* n. 6. cum *Palao* ait, probabilius etiam sub gravi peccato teneri Confessarium injungere satisfactionem pro venialibus, aut mortalibus jam semel confessis; tum quia injunctio satisfactionis pertinet ad ritum hujus Sacramenti a Christo institutum, perpetuoque Ecclesiae usu receptum, quem data opera omittens implicite censeretur id agere ex contemptu institutionis divinae; tum quia Confessarius aequae in confessione mortalium, ac in confessione venialium tenetur procurare integritatem Sacramenti; atqui satisfactio aequae pertinet ad integritatem Sacramenti in confessione venialium, ac mortalium; ergo. *Ibid.* tamen *Babenst.* ait probabilem esse sententiam *Lugonis* et *Illsung*, quod Confessarius in tali casu tantum peccet venialiter, eo quod desit suo officio tantum in re levi. Vide *Sporer* P. 3. C. 4. n. 544.

612. Dixi *tertio: regulariter ante absolutionem*: 1. quidem ut omnes partes Sacramenti materiales subjiciantur Sacerdotis absolutioni tanquam parti formali: 2. ut ordo judicii melius servetur, qui exigit, ut reus satisfactionem prius spondeat, quam absolvatur. *Laym.* L. 5. t. 6. C. 15. n. 8. cum *Sylv.*, *Suar.* et aliis. *Confirm.* ex praxi universali, quam sine causa invertere non licet. Si tamen Confessarius forte ex quadam oblivione, aut turbatione non injunxisset poenitentiam, satis est, si eandem post absolutionem adhuc dictet, quia moraliter adhuc unus censetur actus confessionis. Ita *P. Gerardus Zell* P. I. n. 228.

613. *Princip. II.* Poenitens sub obligatione ex genere suo gravi tenetur acceptare, et implere poenitentiam rationabilem obligatorie injunctam a Confessario. Dixi, *tenetur acceptare*: injungere enim poenitentiam et illam acceptare, sunt correlativa: ergo sicut Confessarius juxta *Trid.* debet injungere, ita poenitens eam tenetur acceptare. Hanc sententiam vocat *Suar.* hic D. 38. Sect. 7. n. 2. hoc tempore tam certam, ut post *Trid.* sine temeritate negari non possit. *Trid.* enim l. c. C. 8. expresse docet, in Sacerdotibus esse potestatem ligandi, non tantum ad infirmitatis medicamentum, sed etiam ad peccati commissi vindictam: quae potestas esset valde inefficax, nisi poenitens obligaretur ad poenitentiam et acceptandam et persolvendam. *Confirm.* In c. *Omnis utriusque* supra cit. eodem modo praecipitur fidelibus, ut confiteantur, et injunctam poenitentiam studeant implere: ergo. Ideoque *Sporer* l. c. n. 584. asserit, veterum sententiam, scil. *Cajetani, Sylv.*, *Medinae*, hodie non nisi extrinsece esse probabilem, quod nempe poenitens non teneatur acceptare poenitentiam, sed si semel acceptaverit,

debeat illam implere. *Ratio* illorum erat, quod peccator in hac vita non teneatur satisfacere pro poena temporali, sed possit eam differre persolvendam in purgatorio.

§. III. *Resolvuntur Casus.*

CASUS I. De obligatione Confessarii circa satisfactionem injungendam.

Martinus Confessarius praeter morem austerus poenitentias ex Jure Canonico, Conciliis et libris poenitentiariis colligit, moremque antiquum scrupulose sequitur, etiam imponendo poenitentias publicas: pro poenitentia injungere orationem pro defunctis nullo modo licitum esse statuit: idem nunquam audeat dictare poenitentiam, nisi distinctam adhuc habeat singulorum peccatorum memoriam.

614. Q. I. Quid Confessario observandum circa Canones poenitentiales? R. cum *Gerardo Zetl. Primo*: Praestat nosse nervum veteris rigorosae disciplinae ecclesiasticae: sic Can. 5. *Quae ipsis*. dist. 38. inter reliqua, quae Sacerdotibus necessaria sunt ad discendum, etiam recensetur Canon poenitentialis, ibique subditur: *Ex quibus omnibus, si unum defuerit, Sacerdotis nomen vix in eo constabit.* Propterea autem haec notitia est utilis, tum quia Confessarius ex ea discit aestimare gravitatem peccatorum, quae Ecclesia olim tam rigide punivit, tum quia facilius inveniet poenitentias congruas pro gravioribus delictis, denique quia ex rigore Canonum justum poenitenti horrorem peccatorum poterit incutere: ex quo promptius suscipiet mitiorem poenitentiam. *Secundo*, observandum, quod Confessarius non debeat secundum totum antiquum rigorem procedere, uti habetur in *Supplem. D. Th. q. 18. a. 4. Sicut enim Medicus aliquando prudenter non dat medicinam efficacem, quae ad morbi curationem sufficiat, ne propter debilitatem naturae majus periculum oriatur; ita Sacerdos divino instinctu motus non semper totam poenam, quae uni peccato debetur, injungit, ne infirmus aliquis ex magnitudine poenae desperet, et a poenitentia totaliter recedat.* Accedit, quod pleraeque graviores poenae a Canonibus Apostolicis et praeconum Conciliorum statutae sint potissimum pro foro Ecclesiae externo, et quidem ad arbitrium Episcopi injungendae.

615. Q. II. Quinam sint praecipui Canones, qui contra vitia nostro tempore frequentiora timorem incutere possunt? R. Recenseo illos secundum ordinem Decalogi in compendio. *Circa I. praeceptum.* Juxta c. *in talibus* 1. de sortilegii, peccans per sortilegia pro futuris inveniendis, vel per divinationes, 40. dies poeniteat. Juxta c. *qui divinationes*, quinquennio poeniteat, qui divinationes expetit.

Circa II. praecept. ex cap. *statuimus*, de maledicis. Qui blasphemaverit publice Deum vel Sanctum, et maxime B. Virginem, septem diebus dominicis prae foribus Ecclesiae in manifesto, dum missarum solemniam aguntur, stet, ultimo autem die sine pallio et calceamentis, ligatus corrigia circa collum, septemque praecedentibus feriis sextis in pane et aqua jejuset, Ecclesiam nullatenus ingressurus: quolibet quoque praedictorum dierum tres, si poterit, alioquin duos reficiat pauperes aut saltem unum. Quicumque sciens pejeraverit, quadraginta dies in pane et aqua, et septem sequentes annos poeniteat, nunquam sit sine poenitentia, et nunquam in testimonium recipiatur. c. *quicumque* 18. caus. 6. q. 1. Qui alios ad falsa testimonia vel perjuriam attraxisse, vel quacumque corruptione sollicitasse convictus fuerit, usque ad exitum vitae non communicet. Can. *Si quis convictus* 7. caus. 22. q. 5.

Circa III. IV. et V. praecept. Qui opus aliquod servile die dominico

festive fecerit, poenitentiam aget tres dies in pane et aqua. Qui parentibus maledixerit, 40. dies poenitens sit in pane et aqua: qui parentes injuria affecerit, tres annos: qui eos percusserit, annos septem poeniteat. Si quis patrem aut matrem, fratrem aut sororem occiderit, toto vitae tempore non suscipiat Corpus Domini, nisi in obitu; abstineat a carne et vino dum vixerit, jejuset secunda et quarta et sexta feria. Si quis hominem occiderit, ad januam Ecclesiae semper erit, et in obitu communionem recipiet. Qui homicidii auctor fuit ob consilium, quod dedit, poenitentiam aget 40. dies in pane et aqua cum 7. sequentibus annis. Plura vide apud *P. Antoine T. de Poenit.* in *Append. ad A. 3.*

Circa VI. praecept. Sacerdos, qui fornicatur, poenitentiam agat annis decem, can. *presbyter* dist. 2. Si Sacerdos fornicatus sit cum filia sua spirituali, idest, quam baptizavit, poeniteat 12. annis, et in monasterio serviet, aut quae ipsi confessa est, poeniteat 12. annis, et in monasterio serviet Deo omnibus diebus vitae suae (can. *Si quis* 30. q. 1.); ipsa vero mulier debet omnia relinquere, et res suas pauperibus dare, et conversa usque ad mortem in monasterio Deo servire. Si laicus solutus cum foemina soluta concubuerit, poenitens erit tres annos. Si quae mulier cerussa, aliove pigmento se oblitit, ut aliis viris placeat, poenitentiam aget annos tres. Ita apud *P. Antoine l. c.*

Circa VII. praecept. Si quis Ecclesiam igne combusserit, 15. annos poeniteat, et eam sedulo restituat, et pretium suum pauperibus distribuat, can. 14. caus. 17. q. 4. Si quis justas mensuras, et justa pondera causa lucri mutare praesumpserit, 30. dies in pane et aqua poeniteat. Cap. *Ut mensurae*. Lib. 3. *Decret. tit. 17. de empt. et vend.* Plures Canones vide in fine *Decreti Gratiani.*

616. Q. III. An Martinus recte egerit injungendo poenitentias publicas? R. 1. Si pro peccatis occultis injunxerit, graviter erravit: quia publica poenitentia pro occultis est contra usum Ecclesiae, et quodammodo infamativa poenitentis. Hinc *Rituale Rom.* disserte ait: *Pro peccatis occultis quantumvis gravibus manifestam poenitentiam non imponant.* R. 2. Nec pro peccatis publicis propria auctoritate potuit imponere poenitentiam publicam cum certa solemnitate peragendam, v. g. standi ad fores Ecclesiae cum cereo accenso etc. ut patet ex praxi, et satis clare colligitur ex *Trid.* sess. 24. de reform. c. 8. ubi postquam cum Apostolo monuisset, publice peccantes palam esse corripiendos, subdit: *Episcopus tamen publicae hoc poenitentiae genus in aliud secretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire.* Accedit, quod ex notitia peccati publice commissi ex confessione tantum accepta nullo modo liceat poenitentem accusare apud Superiorem: ergo Confessarius nec propria, nec auctoritate Episcopi potest in tali casu poenitentiam publicam injungere. R. 3. Hoc igitur sensu tantum Martinus poenitentiam publicam potuit imponere, ut poenitens coram iis, qui scandalum passi sunt, retractet sermones contra fidem, bonos mores, vel calumnias, detractiones etc. sic enim Confessarius non manifestat peccatum, sed poenitens inducitur ad id, quod ex se facere tenetur ad tollendum scandalum. *Antoine l. c. cum S. Th.*

617. Q. IV. An recte senserit Martinus, quod non liceat injungere pro poenitentia preces vel alia pia opera pro defunctis peragenda? R. Sensit contra communiorem, quam commendat *Catechismus Rom. P. 2. de Poenit. n. 63.* ubi ita docet: *Ex omni satisfactionum genere maxime convenit poenitentibus praecipere, ut certis aliquot, et definitis diebus orationi vacent, ac pro omnibus, et praesertim pro iis, qui ex hac vita in Domino decesserunt, preces Deo faciant.* Ratio autem est, quia actus charitatis, quo quis applicat

aliis bonum opus, jam habet vim satisfactivam, sicut omne opus meritorium, adeoque hic quidem actus ex opere operato, et quatenus est pars integralis Sacramenti, determinatur in satisfactionem pro peccatis ipsius poenitentis, ipsum vero opus, quod ex charitate ponitur, potest prodesse tum poenitenti, tum defunctis, cum vi suae bonitatis habeat valorem impetratorium et satisfactorium. Ita *Lugo* D. 25. n. 62. *Palao*, *Rassler*, et alii contra *Vega*, et *Lohner*.

618. Q. V. An Confessarius, dum imponit satisfactionem, debeat necessario habere distinctam singulorum peccatorum memoriam? R. Cum id plerumque sit impossibile moraliter, satis est meminisse status poenitentis ex singulis antea auditis, et intellectis peccatis. *Antoine* in Theol. moral. T. de Poenit. a. 3. in fine q. 2. cum *Sylvio*.

619. Q. VI. Quaenam sit ultima mensura poenitentiae injungendae? R. Cum neque lege divina, neque humana certa poena sit praescripta, quae poenitentibus dictetur, merito pro ultima regula statuitur prudentia Confessarii, prout haec dirigi debet in sacro tribunali a superno lumine, a cognitione delicti, et personae delinquentis. Ita clarissime colligitur ex *Trid.* mox citato: debent ergo Sacerdotes Domini, quantum *Spiritus et prudentia* suggererit, pro *qualitate criminum, et poenitentium facultate* salutare et convenientes satisfactiones injungere. Specialiter caveat Confessarius primo, ne sit *nimum lenis*, prout non raro contingit vel ex *inani timore*, dum non audet juxta exigentiam sui officii poenitentibus in dignitate constitutis convenientem gravitati peccatorum poenitentiam injungere; vel ex *amore non ordinato*, vel ex *vana gloria*, ad comparandum sibi nomen boni Confessarii, vel ad obtinendum, aut conservandum numerum copiosum poenitentium. Ita *Gerard. Zehl* P. I. c. 4. n. 215. Perpendant Confessarii verba *Trid.* l. c. *ne si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum poenitentibus agant, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.*

620. *Secundo*, caveat Confessor, ne sit *nimum severus*, qui rigor ordinarie oritur vel ex *indiscreto zelo*, dum Confessarius tantum intuetur gravitatem peccatorum, absque reflexione ad causas poenam mitigantes, de quibus infra: vel ex *scrupuloso animo, et nimia anxietate*, dum sibi persuadet, nunquam se officio suo satisfacere, nisi severiores poenitentias injungat: vel denique ex *inordinata passione*, dum ex defectu mansuetudinis facillime offenditur ab ignorantia, vel importunitate confitentium, vel ipse nauseat onus excipiendi multorum confessiones. Meminerit talis Confessarius, obligationem imponendi poenitentiam esse commissam suae prudentiae, non inordinatae passioni. Meminerit quoque scrupulosus Confessarius, quod praestet mitius, quam rigidius agere cum poenitentibus. Vide c. *alligant* 12. causa 26. q. 7. *Alligant autem onera gravia et importabilia ... Tales sunt, qui grave pondus venientibus ad poenitentiam imponunt: qui dicunt et non faciunt: et sic, dum poena praesentis poenitentiae fugitur, contemnitur poena peccati futura ... Deinde etsi erramus modicam poenitentiam imponentes, nonne melius est propter misericordiam rationem reddere, quam propter crudelitatem: ubi enim pater familias largus est, dispensator non debet esse tenax: si Deus benignus est, ut quid Sacerdos ejus austerus? Vis esse Sanctus? circa vitam tuam esto austerus, circa alienam benignus.* Sententia Magni *Gersonis* erat, tutius esse cum moderata poenitentia, quae sponte suscipitur, mittere poenitentem ad purgatorium, quam cum rigidiore non implenda in infernum.

621. Q. VII. Quaenam sint causae, ob quas poenitentia subinde levior possit injungi? R. 1. Poenitentis infirmitas corporalis. 2. Infirmitas spiri-

tualis, vi cujus Confessarius *prudenter* timere potest, ne poenitens vel non impleat rigidiorem poenitentiam, vel per eam a confessione deterreatur. 3. Dolor extraordinarius, quem Confessarius ex ipsa confessione, vel suspiriis, saepe etiam ex lacrymis colligere potest. 4. Indulgentiae, quas poenitens lucrari ipso die confessionis intendit. *Laym.* L. 5. t. 6. c. 15. n. 12. et 13. Juxta aliquos levior etiam poena imponi potest, quando Confessarius post formulam absolutionis addit: *Passio D. N. J. C. etc.* Vide *La Croix* L. 6. p. 2. n. 1250.

622. Q. VIII. Quaenam opera pro poenitentia possint injungi? R. cum *Trid.* sess. 6. c. 14. Oratio, jejunium, eleemosyna, et alia pia spiritualis vitae exercitia: hae enim sunt satisfactiones poenales simul et medicinales. *Per jejunium* intelliguntur omnes corporis afflictiones, v. g. flagellationes, cilicia, humicubationes, abstinencia a carne, vino etc. Huc etiam pertinet privatio licitarum voluptatum sensuum. *Per eleemosynam* intelligitur omne opus misericordiae tum spirituale, tum corporale. *Per orationem* omnis actus religionis in Deum, hujusmodi sunt preces tum *mentales* juxta dicta P. 1. n. 163, item meditationes de morte, inferno, aeternitate, passione Christi, actus interni virtutum, frequens recordatio Dei praesentis, repetita suarum afflictionum et actionum oblatio ad gloriam Dei, actus fidei, spei, charitatis, contritionis etc.; tum *vocales*, v. g. preces jaculatoriae, rosarium, officia, litaniae, psalmi poenitentiales etc. Huc referuntur examina conscientiae, auditio Missae, et concionum, confessio, communio etc. Ita *Antoine* l. c. ubi subjungit, quod *ordinarie* non liceat injungere opera jam aliunde praecepta, quia etsi nulla peccata quis commisisset, nihilominus ea deberet praestare, quia sunt praecepta; adeoque nec sunt ad vindictam et castigationem. Dixi *ordinarie*: quia si ex rationabili causa opus aliunde jam debitum injungeretur, nova adderetur obligatio exequendi opus, quod si omitteretur, duplex esset peccatum. Pariter satisfactiones vindicativae non sunt: restitutio famae, compensatio damni, fuga occasionis peccandi etc. (vide dicta P. I. n. 202. et seq.); quia ad haec per se jam obligatur poenitens.

623. Q. IX. Quaenam sint poenitentiae salutare et convenientes, de quibus *Trid.*? R. *Salutares* sunt, quae ad peccata commissa castiganda, et ad satisfaciendum Deo pro injuria, et ad praecavenda similia magis conducunt. *Convenientes* sunt, quae tum peccatorum multitudini et gravitati, tum statui, aetati, sexui, conditioni, et dispositioni poenitentis magis conveniunt: ideoque ut *satisfactiones vindicativae* sive *poenales* sint convenientes, debet haberi ratio infirmitatis, valetudinis, laboris, status, officiorum, paupertatis poenitentis, prout prudentia suggeret. Hinc errant illi, qui injungunt diu noctuque graviter laborantibus jejunia, famulis longas peregrinationes etc. *Satisfactiones medicinales* ut sint convenientes, Confessarius causam, radicem, ac motivum peccatorum poenitentis prius investiget, ut remedia eorum emendationi apta injungat: illae enim dicuntur medicinales, quae peccatorum causas ac radices reseccant, malos habitus tollunt, pravas cupiditates coercent, occasiones peccandi remouent et vitia curant: tales sunt actus virtutum interni et externi vitii poenitentis oppositi. Unde Rit. Rom. monet: *Contrarias peccatis poenitentias injungat, velut avaris eleemosynas, libidinosi jejunia, vel alias carnis afflictiones, superbis humilitatis officia, odio proximi laborantibus opera charitatis proximi etc.* Est quoque generale et utile remedium, ut in materia, in qua quis commisit illicita, abstineat etiam a licitis, item frequens usus Sacramentorum poenitentiae et Eucharistiae.

624. Pro praxi ulterius *observa*: I. Quamvis unica ac certa regula de-

finiri non possit, qualis poenitentia pro peccato mortali sit injungenda, cum id fieri debeat cum reflexione ad vires, statum et dispositionem poenitentis; communiter tamen pro uno mortali, nisi sit nimis enorme, injungi potest rosarium, officium de Ss. nomine Jesu, de B. Virgine, Litaniae de omnibus Sanctis, Litaniae Lauretanae cum precibus, auditio Sacri, jejunium etc. Si plura mortalia in eadem confessione exponantur, non semper pro singulis peccatis singula rosaria injungenda sunt (alias subinde centum aut plura deberent injungi), sed poenitentia quaedam gravior cum leviori per plures dies persolvenda.

625. II. Consuetudinario praeter poenitentias mox assignatas injungi potest unum vel alterum opus ex sequentibus: 1. Ut certo die iterum confiteatur et communicet. 2. Ut toties, quoties usque ad proximam confessionem relapsus fuerit, determinatam aliquam poenitentiam persolvat, v. g. recitando Litanias Lauretanas, vel quinque Pater et Ave, det aliquam eleemosynam, corpus affigat etc. 3. Ut singulis diebus per mensem, vel septimanam, vel usque ad proximam confessionem certas preces persolvat, vel (si capacior sit) aliquandiu de quatuor novissimis meditetur. 4. Ut singulis diebus ad certum usque tempus, v. g. per octiduum, vel 14. dies mane firmiter statuatur ab illo peccato abstinere, opemque Dei humillime imploret, se devote commendet B. Virgini, Angelo custodi, et Ss. Patronis, ut vesperi serium examen instituat, et si deliquerit, serio conteratur. Plura apud *Ger. Zell* p. 1. n. 223.

626. III. Nunquam praestat pro poenitentia injungere, ut poenitens emittat votum abstinendi ab hoc vel illo vitio, sed si votum videatur esse conducens medium, praestat illud suadere emittendum ad tempus, ne poenitens gravioribus peccatis exponatur. Denique dissuadent plerique perpetuam injungere poenitentiam.

CASUS II. De Obligatione admittendi et persolvendi poenitentiam.

Malachias poenitentiam sibi a Confessario injunctam obliviscitur, ideoque in proxima confessione aliam petit; hinc Confessarius rigidior plura rosaria, jejunia, et alia opera injungit. Malachias timens ne, si conqueratur, plura injungantur, rogat absolutionem; postea propria auctoritate sibi substituit devotulam aliquam, quae loco ipsius jejunet, ipse vero reliqua post plures menses persolvit.

627. Q. I. Quale sit peccatum, culpabiliter omittere poenitentiam? R. Omittere gravem poenitentiam pro mortali injunctam v. g. confessionem, communionem, vel septem psalmos poenitentiales, aut rosarium, vel jejunium, est peccatum mortale: qui enim tenetur aliquid praestare, per se ad id obligatur graviter, si res sit gravis. Ita *Duarte V.* Poenit. n. 505. cum comm. Omittere vero levem injunctam pro solis venialibus, aut pro mortalibus alias jam rite confessis, secluso contemptu et scandalo, probabilis est tantum veniale; quia completio partis integralis, qualis est satisfactio, per materiam levem non obligat nisi leviter pro ratione materiae. Ita *Antoine* de Poenit. A. 3. q. 7. contra alios, qui dicunt, etiam sic esse mortale, eoquod sit gravis irreverentia, Sacramentum privare sua integritate; contra quos *Jansen*. P. 2. casu 101. n. 4. ait, etiam veniale tantum esse, omittere gravem poenitentiam injunctam pro peccatis tantum venialibus, v. g. jejunium; quia iudex debet commensurare poenam delicto; ergo si peccata sint tantum venialia, etiam obligatio ad poenitentiam videtur esse venialis.

628. Q. II. Quid? si quis oblitus sit, qualis poenitentia fuerit injuncta? R. Si possit interrogare Confessarium suum, debet interrogare: si non possit, ad nihil absolute tenetur: neque enim poenitens sua auctoritate sub-

rogare potest aliud opus, nec illud elevare, ut sit pars Sacramenti: nec tenetur propterea iterum confiteri priora peccata, quia ab iis directe fuit absolutus, et talis obligatio non potest sufficienter probari; sed satis est accusare negligentiam, si quae intercurrit, ut ait *Jansen*. l. c. n. 7. Addit *Laym*. L. 5. T. 6. c. 15. sub fin. consultum esse, ut qui poenitentiam praesertim gravem oblitus fuit culpate vel inculpate, in proxima confessione similem (videlicet talem, qualis pro gravibus vel levibus injungi solet) a Confessario sibi injungi petat. Anxii et scrupulosi satisfaciunt, eam, quam prudenter sibi putant injunctam, persolvendo.

629. Q. III. An Malachias satisfecerit substi tuendo aliam personam, quae loco ipsius partem notabilem poenitentiae impleret? R. *Negative*. Vide propos. 15. ab *Alex. VII.* damnatam. *Ratio* est, quia satisfactio est quasi materia hujus Sacramenti, et pars integralis tanquam actus poenitentis: ergo necessario debet poni a poenitente, sicut contritio et confessio, ideoque hic non valet regula Juris: *Quod quis per alium etc.* quia ibi tantum valet, ubi non exigitur ex speciali ratione actio personalis. Hinc addit *Duarte* l. c. n. 502., quod nec Confessarius ita possit imponere satisfactionem, ut poenitens per se vel per alium impleat. *Excipe*, si Confessarius jubeat, ut poenitens per alium mittat eleemosynam ad certum pauperem, quia hoc modo revera praeciperet actionem personalem, scil. elargitionem eleemosynae ab ipso poenitente faciendam, licet per alium alteri tradendam.

630. Q. IV. An poenitentia a Confessario injuncta possit in aliam mutari? R. 1. Non potest propria auctoritate mutari ab ipso poenitente, etsi opus substituendum videatur melius: reus enim non potest mutare sententiam judicis, nec subditus opus praescriptum a Superiore, nec satisfactio potest esse sacramentalis, nisi injungatur a ministro. *Antoine* l. c. q. 10.

631. R. 2. Nec alius Confessarius eam potest mutare extra confessionem; potest autem eam mutare, si poenitens priorem confessionem repetat. *Ratio* primi est, quia poenitentiae commutatio est impositio poenitentiae loco prioris, ideoque actus iudicii sacramentalis, qui extra confessionem non potest fieri. Quod autem requiratur nova confessio, inde probatur, quia *Trid.* sess. 14. c. 5. ait, hoc iudicium a Sacerdotibus, incognita causa, exerceri non posse. Contrariam sententiam, quod non necessaria sit repetitio prioris confessionis *Laym*. l. c. n. 16. cum multis gravibus AA. adhuc dicit probabilem. Vide etiam *Burghaber* cent. 3. c. 6. Propter diversitatem AA. *Gerard. Zell* l. c. n. 235. resolvit: Optime faciet Confessarius secundus, si vel simpliciter a poenitente petat, an prior confessio fuerit de similibus peccatis, qualia modo confessus est, vel obiter interroget, propter quae peccata principaliter ipsi poenitentia tam gravis fuerit injuncta; ex hoc enim sufficienter cognoscet causam et statum poenitentis. *Ratio* secundi est, quia omnes Confessarii habent aequalem (exceptis casibus reservatis) potestatem; ergo sicut primus, ita et secundus Confessarius potest mutare poenitentiam, etiam illam, quae pro casibus reservatis imposita est; inaequalitate enim sublata per primam absolutionem, aequalis est in omnibus Confessariis potestas. *Laym*. l. c.

632. R. 3. Potest poenitentia mutari ab eodem Confessario, qui illam imposuit, et tunc non erit necesse repetere priorem confessionem, si is adhuc recordetur statum poenitentis, et poenitens recurat ad ejus tribunal intra tam breve tempus, puta unius diei, ut moraliter censeatur idem iudicium. Ita *Laym*. cum *Suar.* et aliis. Juxta *Gerard. Zell* haec mutatio ab eodem Confessario fieri potest, tum intra, cum extra confessionem ob jurisdictionem, quam is acquisivit in poenitentem, qui se voluntarie ipsi